

An plures plantae e Tuis seminibus in vestro horto enatae sunt, et quanam, dicas?

Ne vacua sit epistola mitto inclusa semina tria, quae primo vere in ollis serenda, enatae plantae apud vos ferunt hyemis injurias.

Inclusam epistolam ad D. Scopuli quaeso mittas, ejus librum videre debeo.

(Tempus datae epistolae adscriptum non est, notatur manu Jacquinii: Respondi 18. Oct. 1761.)

16.

Viro Clarissimo DD. Jacquinio.

Heri oportune Tuas habeo, ad quas mox respondeam.

1. Phleum alpinum.

2. Aira montana.

3. Lichen Prunastri.

4. Airae calycibus bifloris triflorisve, floribus muticis.

Ex specimine nequeo hoc gramen dignoscere. An diversa a Scheuch. Agrost. p. 163.

5. Agrostis tua ceylanica mihi non nota est, forte dicere: Agrostin panicula virgata, flor. subulatis, culmo filiformi, ramosissimo.

6. Carex forte nigro-lutei verni varietas.

7. Aira spicata.

Figura Tua Varroniae mirabiloides erat speciosissima, perplacere etiam figurae Jacquinae et Rondeletiae, quae cum Columnae figuris certant, et licet non adeo ac prima nitidae, adeo tamen absolutae, ut vix praestantiores optare liceat. utinam haberemus omnes Tuas ita confectas.

Descriptio *Alpiniae* perplacuit, videtur illa in multis convenire cum Costo meo. Certe Tua descriptio est per-